Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Jacob Bruck-Angermundt von

Decades Duae Anagrammatum Et Emblematum : ex nomine Illustris ... Dn. Andreae Kochticzky ... Concinnatorum ; Quibus praefixa est doctrina brevis, de Anagrammatismis & Anagrammatibus consciendis

Argentorati: Bertramus, 1615

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1028134878/phys_0001

DECADES DUÆ

ANAGRAMMATVM ET EMBLEMATUM.

ex nomine

ILLVSTRIS, GENEROSI, ET MAGNIFICI DOMINI,

DN. ANDREÆ KOCHTICZKY,
LIB. BAR. à KOCHTICZ ET LUBLENIETZ,
DOMINI IN KOSSENTIN ET
TURNAVVA, &c.

Concinnatorum.

Quibus præfixa est doctrina brevis, de Anagrammatismis & Anagrammatibus conficiendis.

Autore

JACOBO â BRUCK ANGERMUNDT
Cogn. Sil.

ARGENTORATI,
Sumptibus autoris.

Excudebat Antonius Bertramus, Academiæ Typographus.

Anno M. DC. XV.

A.C. 1039.

AD
ILLUSTREM, GENEROSUM ET MAGNIFICUM DOMINUM, DN. ANDREAM KOCHTICZKY LIB. BAR. à KOCHTICZ ET LUBLINIECZ, DN. IN KOSSENTIN ET TURNAVVA, &c.

Fautorem observ.

IAm Sol quadrifidum bis circumvolvitur annum:
Jam bis flore nitet, bis nive candet humus.
Hæc tibi cùm calamo conscripta Anagrammata inerti
Offerrem, Genij symbola pauca rudis.
Officij studium tunc, causam, animumq; probasti.
Quæ placuere priùs, nunc fore grata velim.
Et gratá quoniam manant ex mente recondi
In grato cupiunt, Vir Generose, sinu.
Ergò manu lætâ cape, respice fronte serenâ,
Quæ æri incisa quidem, sed mage corde fero.
Tempus erit, seri cùm forsan jure nepotes
Dicent: Iste cliens, ille Patronus erat.
Gratáq; posteritas memori hæc sub pectore servans,
Dona feret studio non moritura pio.
Et virtute tuâ, nisuq; excita celebri:
Transmittet cedru tempora digna sacrâ.

Jacob. à Bruck Angermundt cogn.
Dab. Argentorati Mense Majo.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0007

NOBILI ET CL. DOMINO,
JACOBO à BRUCK ANGERMUNDT
cogn. Ephoro suo obser vando, honoris ergò

VUlgares animæ semper vulgaria tractant:
Sectanturq; jocos: seria quisq; fugit.
At tu dum calamo ac animo sublimia versas:
Ostendis, quæ sit Mens Geniusq; tibi.
Macte hoc conatu! nunquam tua fama peribit.
Alis Doctrinæ hanc MUSA sub astra feret.

JAN-BERNHARD. MALTZAN
L. B. à VVarttenberg & Pentzelin, in Militsch & Freyhann. scripsit Argentorati.

ALIUD.

MAgnum est, ingenuas didicisse fideliter artes:
Ex illis etenim Gloria magna venit.
Majus crede mihi, multos conscribere libros:
Hinc Laus perpetuò major, honosq; fluit.
Maximum at est: isti si sint doctiq; bonique:
Fama hos nam meritò maxima consequitur.
Cuncta hæc sunt JACOBE tibi: testatur ut illud,
Utilis hicce tuus, fertilis arte liber.
Gratulor en paucis! Sit gloria magna, laboris
Merces; major honos; maxima fama, precor.

JOHANNES GEORGIVS CZIGAN
L. Baro de Slupska. Nobiliss. doctiss. & Politiss. Viro Dn. Jacobo à Bruck Angermundt cogn. Præfecto suo æternùm amando, honorando fundebat Argentorati.

ALIUD.

DIversis diversa placent: sua quemq; voluptas
Ducit, & hanc credas omnis homo sequitur.

Tu

Tu quoq; nunc nobis perdocta Emblemata fingis,
Musâ & Naturâ, Te stimulante, tuâ.
Semina perpetuæ laudis, famæq; perennis
Quæ sequeris, parient commoda magna tibi.
Perge modò tali studio conquirere famam:
Eripiet tristi, te tua Musa rogo.

JOACHIMUS KOCHTICZKY. L. B.
à Kochticz & Lubliniecz &c: meritò lubensq; adposuit Nob. & Cl. Dn. Jac. a Bruck Angermundt cog. Præfecto suo amando. Argentorati.

ALIUD.

ARgento est aurum melius: preciosior auro
Est adamas: Virtus Nobilitate prior.
Hanc si ornet pietas doctrinaq;: jure celebrem,
Verè & conspicuam, dicere quisq; potest.
Clare JACOBE tibi virtus, doctrina, fides sunt:
Nobilitas ornat pòst tua facta satis.
Plura cupis tandem? tibi cùm sint plurima? dicam.
Veras di vitias (teste Biante) tenes.
Tu genus ARTE auges, quod duro MARTE parentes
Ornarunt: duplex hinc tibi surgit honos.
Alter majorum è factis venit: alter ab ipsis
Musis, quas gnavus nocte dieq; colis.
Id tua scripta probant antè edita: testis & iste
Quem mirâ vulgas arte, libellus erit.
Cur te felicem? cur terq; quaterq; beatum
Non dicam? tibi cùm docta Minerva favet!
Perge favente DEA multos conscribere libros!
Et laudem æternam perge parare tibi.
Quicquid dextra struit, ruit: ast quam cultior arte
Musa parit, nunquam splendida fama perit.

ANDREAS KOCHTICZKY Jun. L. B.
à Kochticz & Lubliniecz, in Kossentin, amoris ergò scribb. Argentorati.

VIRO NOB. CLARISSIMO
D N.
JACOBO à BRUCK ANGERMUNDT cogn.

CYnthius inviſis ſubducit lumina terris
Pulcher, & obductis nubibus exul abit.
Aſsiduis contra pluviis inamabilis æther
Et ſubitò totam flumine condit humum.
Hinc mea Pierio Laurus ſpoliata falerno,
In Laurum neſcit promere dia tuam.
Ipſe tibi cygnus, Myrthumq; EMBLEMATA ponunt,
Quæ Majæ pullus vel JOVE DIGNA, canet.
Nominibus, GENIUM, deducta ANAGRAMMATA pingunt,
Clarus & ut poſsis vivere, viva dabunt.
Nempè Heliconiadum, per PONTEM adſcendere, MONTEM
Doctus es, & Nymphis oſcula ferre ſacris.
Baſia Calliopes nequaquam onerantia vultum,
Nec nimiùm collo dura recepta tuo!

AMICO
Mentem minùs valentem
magis volentem
aperiebam
VALENTIN. ARITHMÆVS,
Lignitio-Sileſius.



DEDICA-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0010

DEDICATIO PRIOR.

CUm hisce diebus animum à studiis gravioribus abducere, paullumq; respirare voluissem: incidi in viri cujusdam docti, Theologi eximij, LVSVM POETICVM ANAGRAMMATVM: in quo Illustrißimorum Marchionum Brandeburgensium aliquot, nomina in anagrammata conversa offendi & legi: simulq; artificium quoddam in ipsis animadverti. Cumq; rem ipsam diligentiùs considerarem, cogitavi simile quid quoq; effingere: ut, si utilitatis nihil; jocunditatis saltem & voluptatis aliquid inde perciperem. Sumpsi itaq; materiam, Nomen tuum Ill. Dn. Baro: & quâ cupiditate ac voluntate, imò fervore rem sum aggressus: eâ quoq; facilitate, ut mihi videtur, perfeci. Erat autem tunc dies S. Andreæ Apostolo sacer. Volui itaq;, citra tamen vulgarem consvetudinem, aliquid ex tuo nomine elicere, quod vinculi esset loco. Sucessit! ut ex nomine & cognomine, ANDREAS COC(H)TICIVS, anagramma hoc conficerem: SIC SIC ARDVA NECTO. Lætus itaq; successu, quòd citra magnum laborem, propitia Minervâ, voluntati meæ accommodum Anagramma invenirem, præsertim verò, quòd & temporis & moris rationem haberet; tentavi alia conscribere; adeò, ut intra paucos dies, manum priùs de tabulâ non amoverem, quam Decades istas Anagrammatum, assiduâ cogitatione, industriâ & labore, ex tuo nomine concinnatorum, absolverem. Cujus quidem studij, (etsi quibusdam leve, nulliusq; momenti esse videatur) jocunditatem cùm perpenderem, autoresq; indagarem; illam certè magnam; antiquos hos esse reperi: & ubi superstitio abfuerit; mystici aliquid in se habere, mecum facient omnes, qui mediocrem linguæ sanctæ cognitionem habent, & ejus intelligentias. Nam nomina Patriarchis, Regibus, tùm locis & rebus quibusdam, à re ipsâ, vel ob factum aliquod, vel causam, & simile, sunt imposita, ut ex sacrâ paginâ apparet. Legimus quoq; Gen. 2. Formatis Dominus DEVS, de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea. Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus: appellavitq; Adam nominibus suis cuncta animantia, & universa volatilia cœli, & omnes bestias terræ &c: Et si quis diligentius apud se consideret nomina, quæ, ut dixi, in sacris literis leguntur; in illis vim, effectum, rationem certam, & tacitum quoddam mysterium deprehendet: quod vel ex Hebræis antiquis & sapientioribus patet: qui nominum, præsertim divinorum, scientiam, (Cabala ipsi volant) omnibus aliis scientiis antetulerunt: & adhuc plurimi sint, qui in eâ maximè

maximè excellere adnituntur. Quanquam hodiè nomina pleruncq; ex voluntate imponantur, sœpè Christianis Ethnica, nullâ ratione habitâ nominis aut ominis. Plurimos tamen videas, qui in Baptismo infantibus nomina imponere soleant à diebus sacris, qui nativitatem eorum vel præcesserunt, vel sequuntur. Ita invictissimus Imperator Rom. MATTHIAS nomen hoc in Baptismo sortitus, quòd die S. MATTHIÆ sacro natus esset.

Autorem primum Anagrammatismorum Lycophrona fuisse, memini me legere apud Casp. Peucer. in Comment. de Divinat. sub cap. de sortibus & divinatione de sortibus. Sic enim scribit: ἀναγραμματισμὸς fit vocum, quas dari certas oportet; ac præscriptas, in Elementa sua, hoc est, Syllabas & literas, dissolutarum novo contextu, aut permutatarum collocatione syllabarum in novas, atq; à prioribus diversas voces coagmentatione. Hujus usu valuisse, atq; in admirationem venisse, apud Ptolemæum Philadelphum, Ægypti regem, scribitur Lycophron Chalcidensis, unus septem Poëtarũ, quos conjunctos vocarunt πλειάδα. Et paulò post. Est ἀναγραμματισμὸς ingenij ludus quidam, habens suas delicias, quas si voluptatis causâ, citra contumeliam cujusq; usurpentur, & si absit profanitas aut superstitio, non ducerem magnoperè vituperandas. Si verò superstitio accedat, scilicet, si ad scrutanda ignota, & futura, ille transferatur: vel, si struat contumeliosa aliis, ferendus est minimè. En alius.

Urb. Sobol.

Colligere haud ulli facilè est anagramma sonorum,
Difficile est pulchrum, difficile artis opus.
Propria virtutis comes admiratio & artis,
Aſt admirantur nonne anagramma viri?
Hoc Philadelphus idem statuit, doctusq; Lycophron,
Hic namq; inventor, tutor at ille fuit.

De usu ejus quoq; eodem loco sic scribit:

Artis opus nunquam vocitare anagramma repugno:
Artis enim faciem, quod fit ab arte, gerit.
Hoc tria perficiunt, Natura. Scientia & Usus,
Est Natura caput, Cura ministrat opem.
Utile quid jactas? anagramma & inutile dicis?
Artifices vulgus commoditate probat.
En docet, hortatur, solatur, deprimit, effert,
Sœpè futura videt. Nomen enim omen habet.
Nequa quam labor ingenii frustraneus ille est,
Qui tibi virtutis monstrat & artis opus.

Hæc ille.

Antiqua

Antiqua igitur, & non nova (ut tame n quibusdam esse videtur) anagrammatismorum est origo. Ab Hæbreis postea ad Græcos transmissa: qui artificium hoc diligentissimè excoluerunt. Id patet ex vetustissimo Poetâ, cujus supra facta est mentio, Lycophrone: qui Ptolemæo carus propter anagrammatismos fuit. Hunc ei composuisse scribitur.

ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ.
ἀναγρ.
ΑΠΟΜΕΛΙΤΟΣ.
&
Α' ΡΣΙΝΟῊ:
ἀναγρ
ΗΡΑΣΙῸΝ.

Plura hujus generis ab aliis notantur. Postea sub Francisco Primo Galliarum Rege, cùm bonæ literæ florere cæpissent, ex Græcia quoq; hoc artificium in Galliam, Lutetiam nimirùm novas Athenas translatum, & à pluribus feliciter usurpatum & exercitum fuit:

Hoc quoq; discrimen quidam esse volunt inter Anagrammatismum & Anagramma; ut, Anagrammatismus ipsum modum trajiciendi literas: Anagramma verò clausulam ex trajectione literarum; sive compræhensionem sonet: usurpatur tamen promiscuè.

Mystici aliquid habere dixi: (quod tamen citra superstitionem dictum & intellectum velim) Nam DEVS ipse primum parentem, nomine ejus origini conveniente ADAM, quod terrenum vel rufum significat, nominavit. ABRAM, Pater excelsus vel multitudinis. MOSES attractus, scilicet de aquis. DAVID dilectus. Infinita ejusmodi sunt in sacris literis, quæ brevitatis causâ omitto. Sic in verbo ΝΕΙΛΟΣ *annus comprehenditur: dierum enim numerum, videlicet 365. literæ exprimunt, si computentur.*

Ν	50
Ε	5
Ι	10
Λ	30
Ο	70
Σ	200
	365.

Hebræorum enim, ut & Græcorum literæ, numerum etiam aliquem significant,

ficant, ut notum est. Philip. Melanth. idem, quod alij de NILO, de MENO fluvio Germaniæ non incelebri, observavit.

M	40
E	5
N	50
O	70
Σ	200
	365.

de quo ipse.

Discite præcipuè Solis motumq; viasq;;
Vos, quibus est patrium Francica terra solum.
Namq; dies, totus quot traxerit ambitus anni;
Id fluvij vestri vox benè nota sonat.

Apud Latinos, literæ sunt quædam numerales vulgò notæ. Annus felicis in Silesiam ingressus, continetur in nomine Invictissimi Imp: MATTHIÆ; *qui tùm, ut Rex Bohemiæ, & Dux Silesiæ, ab Ordinibus salutatus & solenniter exceptus fuit. Anno 1611.*

MATTHIAS SECVNDVS.
MDCVVI.

Jam dicendum est de præceptis · quæ quidem non sunt præcepta generalia seu Catholica, (Neminem enim adhuc vidi, quod de me, meaq; ignorantia fateor, qui exactè artificium hoc anagrammatum conficiendorum præceptis inclusisset) sed Observationes potiùs quædam. Descriptionem tamen qualemcunq; facilioris intellectus causá præmittam, quam ex Guilielmo Blanco Albiense descripsi:

" *Anagramma est clausula, quæ ex artificiosá literarum omnium, neq; plurium,*
" *alicujus nominis transpositione componitur. Clausula generis loco ponitur, quod latè pateat. Tales sunt in jure plurimæ; ut Clausula testamentorum; clausula legati &c Significat etiam sententiam, quæ Epistolam, vel Carmen claudit. Ita Anagramma aliquid claudit, sensumq; in Oratione constringit. Et cùm Anagramma sit particula Orationis, sive uno, sive pluribus verbis exprimatur, Clausula non immeritò dici potest. Taliaq; anagrammata maximè probantur, quæ Orationem perfectam habent: sive uno verbo; sive duobus, tribus, quatuorve verbis exprimatur, ut:*

ARISTOTELES.
ἀναγρ.
SOL ERAT ISTE.

Sic

Sic. EMANVEL. ἀνάγρ. LEVAMEN.
SIGISMVNDVS. ἀνάγρ. MVSIS DIGNVS.

Hîc ex uno verbo perfectus sensus & Oratio provenit. Claudere itaq; anagramma Orationem debet, id est concludere aliquid certi in Oratione. Addidit autor: artificiosa. *Non ut certa quædam, quòd dixi, & Catholica essent præcepta in anagrammatismis componendis: sed quòd artificio quodam opus sit. At si quis de eo dubitet; tentet aliquid, inveniet sanè difficultatem non parvam, in re parvâ. Quemadmodum autem Usus & exercitatio, difficillima quæq; facilia reddit: Sic hac in parte laboris & difficultatis diminutionem quis experietur, si crebrò se exercuerit. Sit itaq; observatio prima.*

I.

Transpositione literarum omninò opus est, ac nomine integro literis descripto: non notis tantum. Nam si pro ANDREA. A. *solum scriberem; pro* JOHANNE. I. *tantùm: pro* PAVLO. P. *quis literas has solas interpretari posset? cùm* AVGVSTINVM, ADAMVM, *vel* ALEXANDRVM; JACOBVM, JVLIVM: PETRVM *alius intelligat.*

II.

Ut neq; literarum quicquam addatur, neq; minuatur. Si tamen propter elegantem sensum Orationis, aliquâ literâ opus est, unâ vel duabus: eas quoq; adhibere, & omittere liberum esto: dummodò, cùm omittitur, non sit principalis, in nomine, Ut in tuo hoc

ANDREAS KOOCHTITIVS.
ἀνάγρ. omisi. K.
HOC DAS JVSTE ORANTI. *Addidi* O. K. *omisi. In aliis* H. *aspirationem: Et pro* K. C. *quod Latinis idem ac* K, *ante a. o. & u. legitur, posui.*

III.

Cùm in nomine eædem literæ plures sunt, tunc commodè una & altera omittitur, idq; propter sensum aliquem egregium, ut in hoc.

ANDREAS (K)O C(H)TITIVS LIBER BARO.
ἀνάγρ.
TIBI CORDE LITABO REVS. SANA!

Hîc litera R. *ter repetitur; semel omittitur, propter sensus necessitatem.* R. *autem major aliis ideò scribitur, ex vetusta quidem, sed nunc quasi novâ consvetudine, quod duplex videatur. Id Lipsio & aliis usitatum. Reperio etiam plures literas omitti solere: sed licentiam hanc nimiam non probo. Peccant enim in eo maximè, quòd, si nomen ex anagrammate colligendum esset, non cuivis ob-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0015

vium foret nomen integrum restituendum. Sic proinde sensui servire debemus: ut huic artificio sua ratio constet.

V.

Ac sicut una interdum litera omitti potest: Ita etiam una addi, propter rationem aliquam evidentem: ut, in tuæ ditionis nomine

TVRNAVA.

ἀναγρ.

EN TVA ARVA.

Literæ N, addidi E, cum aliàs consonet. A, adjeci, cùm similiter in pronunciando eandem vocalem exprimi audiamus TVRANAVA, præsertim si tardiùs pronuncies. aliter.

TVRNAVA.

ἀναγρ.

TVA URNA. Sic

COSENTIN.

ἀναγρ.

EN NITESCO. addidi quoq; vocalem E. eâ, ut dixi, ex ratione: tùm, quòd rei proprietatem & qualitatem exprimat anagramma. TVRNAVA enim ditio tua, arva fertilia, ampla & jocunda habet. COSENTIN Arx nitere incipit, vel nitescit, tàm structurâ & ædificij elegantiâ, copiâq; rerum: quàm loci oportunitate & aliis commodis: tùm inprimis Domini inhabitantis virtute, Prudentiâ, & in re familiari industriâ. Et hic artificium quis neget?

V.

Diphtongi quoq; resolvi possunt in duas vocales.

VI.

Pro litera Z. S. poni potest.

VII.

Licet etiam aliquando unam literam in alteram commutare, hoc est, pro Elemento uno, aliud assumere: ut & unius omissio, & alterius adjectio videatur, ut.

ANDREAS à KOCHTICZ LIBER BARO IN KOSSENTIN ET TVRINAVA.

ἀναγρ.

KATHARINA SEDLNICZKA BIS VIVAT IN ORBE, ET ORNET ARCEM. Pro N. substitui M. vel potiùs commutavi.

Sic

VIII.

Sic Vocalem pro vocali, proximam tamen sumere fas est, ut pro a. e. pro e. i. pro i. o. pro o. u. nunquam pro primâ ultimam, rarò penultimam. In præcedente anagrammate pro o. e. sumpsi, & commodè.

IX.

Gallicum ç. cui ad caudam S. annexum videtur, vocaturq; C. caudatum resolvi potest in c. s. ut.

ANDREAS COCHTITIVS LIBER BARO DE
COCHTIç ET LVBLINIEç.

ἀναγρ.

ECCE HIC LVCEBIT SIDERIS INSTAR,
DONA REBVS COLLOCABIT.

X.

Hoc quoq; observavi: Licere separatim unum nomen tantummodò vertere: sive proprium, sive cognomen, prænomen, aut agnomen. Sic Invictissimo Imperatori MATTHIÆ, *cùm nuper in Imp. Rom esset electus, hoc anagramma concinnavi.* MATTHIAS.

ἀναγρ.

AT MIHI SAT! *scilicet quod obtigit.*

Ex hoc AVSTRIACVS.

ἀναγρ.

SIT SVA CVRA! *aliis.*
CARA SIT VSV! *mihi mea!*

Quæ tria anagrammata uni epigrammati inclusi.

SIT SVA CVRA *aliis, qui orbis moderantur habenas:*
AT MIHI SAT *fuerit, quod dedit ipse Deus.*
CVRA *Duci* SVA SIT *populorum nempè suorum:*
VSV CARA *mihi* SIT *mea cura precor.*

Ex HENRICI VALESII *Regis Galliarum cognomine nescio quis tale anagramma fecit.* VALESIVS.

ἀναγρ.

LAVS JESV. *Ego ex nomine ejus*

proprio hoc. HENRICVS.

ἀναγρ.

NI CVRES } *populum.*
HINC VRES }

MAHOMETES.

ἀνάγρ.

Ch. Pel. SEMET HAMO.

Quid Mahomet? hamus, quid nam capit? agmina Christi.
Quæ Merces? HAMO SEMET ad ima trahet.

Non solùm autem hominum nomina converti possunt: sed etiam Regionum: ut ex SLESIA, tale contexui anagramma. SIS LEA. sive intelligas de Lea, de quâ legitur Gen. 29: sive de ferâ, id est, Leænâ, utrumq; bellè quadrat. Illa enim significat laboriosam. De laudibus Silesiæ, hîc supersedeo dicere: nuper quidam vir doctus Silesius Silesiographiam edidit, eò lectorem remitto. Si verò intelligas SIS LEA, id est magnanima, fortis ad propellendos hostes, & cives tuos tutandos, non absonum erit.

Sic Urbium nomina quoq; verti possunt. ut: URATISLAVIA Metropolis Silesiæ. per anagr: LAVS VIA ARTI. vel: ALATA VI RVIS.

Quod si ex observatione supra dictâ duas literas addideris, videlicet M, quod inversum inter insignia Urbis est, & S. quod Silesiam, illa v: Metropolim notare potest. hoc anagramma provenit. URATISLAVIA M. S.

ἀνάγρ.

SALVA VI MARTIS.

VI MARTIS SALVA es! quos vis hinc fortis in hostes,
Victrix ALATA VI RVIS: atq; premis.

Sic fluminum nomina verti possunt. ut

VIADRVS. ἀνάγρ. VIS DVRA.

Inundationes superioribus annis, qualia damna accolis intulerint, nemo est puto in Silesiâ, qui ignoret. SVRDA enim VI omnia secum rapit, nec torrens curat habenas.

Virg. 2. Æneid.

Sternit agros, sternit sata læta, boumq; labores,
Præcipites q: trahit silvas.

Tantò igitur plus artis erit in anagrammate, quantò magis rei, vel personæ, ejusq; qualitati, dignitati, vel officio conveniet, quale hoc tuum est.

ANDREAS COCHTITIVS LIBER BARO IN KVSENTIN ET TVRINAVA.

ἀνάγρ:

VIRTVTE, CONSILIO, ARDVIS IN NITAR,
BRABEA TENENS ACTV.

Patiare quæso, ut talia scribam, tuq; legas! quanquam sciam te alienum esse ab omni

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0018

ab omni fastu & arrogantiâ. Generosi certè est ardua sectari: & actu Honores tueri. Sciat, legat posteritas, quæ fecimus ipsi: faciamus honesta, ut habeat, quod admiretur, quod imitetur, quo ad similia facienda & sequenda excitetur.

Ea autem, ut dixi, Anagrammata laude digna, & meritò artificiosa dicenda erunt, quæ vitæ genus, qualitates, & officia personæ vel rei exprimunt: & oculis quasi subijciunt. Possuntq; meritò typis mandari; lapidibus æri ve insculpi, ac ad posteritatem transmitti, maximè, quæ venustatis, veritatis & artis aliquid in se continebunt: quale hoc. DAVIDES REX.

ἀναγρ.

DEI DVX ERAS. &
CAROLVS QVINTVS.

ἀναγρ.

QVI NOTVS, CLARVS. Sed hoc observandum inprimis, ne quis ad contumeliam alterius hoc artificio abutatur. Tàm enim ex nomine Viri boni, malum anagramma, quàm ex malo nomine, bonum elici potest: adeò, ut omina illa, in & ex nominibus, solidi nil promittant.

De Usu pauca adjiciam. Anagrammatis uti possumus (maximè si argutam aliquam sententiam complectantur) in fronte libri, ædibus; in sepulchri marmore insculpi, inscribi insignibus possunt; nec non versibus illustrari: præsertim si obscurior erit sententia: vel si aliquâ explicatione indigere videbuntur. Sic tamen anagramma epigrammati includi debet, maximè ad finem, ut non tàm appositum, quàm innatum esse videatur: ut

JOHANNES GEORGIVS ELECTOR. Ch. Pel.

ἀναγρ.

I SOL, HECTOR, ANNOS VIGE, REGE.

I regni decus Elector, velut impiger HECTOR,
I SOL Marchiaci non variate poli.
Totq; VIGE quot habes ANNOS, tot longiùs urge,
Et REGE Pastor oves, quas Pater ipse foves.

Quid de ominibus, quæ nominibus sæpè insunt, sentiam, habe. Rarò fit, ut viri boni, & a naturâ vel arte tales, omina suorum nominum non referant actu. Affirmare autem non dubito: Ex nomine aliquid certi de omine statuere non posse. Nam nomina nunc, non ut in V. Test., arbitraria sunt, & ex voluntate merâ imponuntur.

Porrò de nominum mutationibus, & nominibus mutandis extat l. unica C. de mutat. nomin.

Atq; hæc sunt Generosæ Dn. KOCHTICZKY, quæ breviter quidem, sed ex

usu, de anagrammatismis dicere volui. Si quis meliora his noverit, sciverit aut habuerit, habeatve, mecum communia facere haut gravetur. Cupio & doceri; & in re tam parvâ, majorem consequi cognitionem. Mens enim hominis discendo alitur. Quòd verò ad te hanc Anagrammatum & Embl. ex tuo nomine compositorum opellam mitto; facit tua Humanitas: erga literarum studia Amor; erga me verò Benevolentia singularis; ut omni prorsus humanitate indignus essem, si aliquid pro eâ non reponerem. Accipe igitur tesseram meæ erga te Observantiæ certissimam; eoq; animo & adfectu, rogo, legas & æstimes; quo ego pridem scripsi, finxi, pinxi: sed nunc artificis manu Embl. sculpta mitto. Profluit certè liquor iste, ut Lipsii verbis loquar, ex canali aperti pectoris, quem TV humanitate tuâ ad te derivas. Si itaq; Tibi mea industria in te colendo: si solertia in ejusmodi abstrusioribus lemmatibus conficiendis: si deniq; studium officia mea Tibi tuisq; consecrandi probabitur; id me assecutum esse satis superq; Lætabor & gaudebo, quod volui. Proinde, quòd in talibus genium meum sequar; nemo mihi propterea invideat: & si faciat, nihil moror: liberum cuiq; judicium suum sequi permitto; cum trahat sua quemq; voluptas. Ego me, meaq; meo modulo metior. Anagrammata autem ipsa, cum per se confectu difficilia sint, sensui ita servire volui, ut Symbola essent; quæ, ut scis, interdum obscura solent addi Emblematibus; & primo aspectu, quasi aliena ab Hieroglypto. Sic tamen utrumq; conjunxi; ut te non solùm delectarent, quod spero: sed alios quoq; hic labor, levis licet videatur, juvaret. Suspensos enim tenebit; tùm in admirationem rapiet; ansamq; de his altiùs cogitandi præbebit tantisper, donec ad intellectum rerum deducat. Hæc enim Symbolorum & Emblematum natura & ratio est, & esse debet. Usum verò Hieroglypti breviter districho ostendi: fusiùs paulò Hierographiæ explicavi. Vim sanè magnã in Anagrammatismis sentio: & quod singulare noto: posse ex uniusnomine, non tamen ex quolibet, alterius nomen elici: quale tuum est ultimum, ex quo Conjugis tuæ charissimæ nomen, & gentilitium cognomen confeci. Omen quippe certum & bonum faustumq; utq; perennet voveo.

Vide doctum Carmen NIHIL Ioan. Passeratii Regii in Acad. Paris. Profes.

Vos DEVS, qui Unum animo & voluntate estis; & duo in carne unâ, diutissimè unanimes & incolumes conservet. Tandem mi Generose Dn. Baro, si quid in his agnoscis, quod tibi gratum sit futurum, quæso ex mea mente æstima. Sin minùs, me Observantiæ hoc testimonio ac monimine, voluntatẽ meam tibi probare voluisse puta. Magni viri sæpè parvis rebus delectantur. Scripserunt docti viri, etiam doctas nugas, legerunt & probarunt Principes. TV similiter hanc meam opellam calculo quo vis proba, censeatq; recense, & Vale.

ANA-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0020

ANAGRAMMA
ET EMBLEMA
I.

ANDREAS (K)OC(H)TITIUS LIBER BARO.
ἀναγ: omiss. R.

TIBI CORDE LITABO REUS: SANA!



CONtritum Tibi Cor DEUS obfero! gratior unquam
Ante tuas aras hoſtia nulla cadit.

Aliter.

Pœnam JHOVA gravem mea culpa meretur, & iram:
CORDE LITABO REUS TIBI, SANA vulnera mentis.

AD I.

SErvire DEO in timore; altum non sapere; & se sub potente manu ejus humiliare, Christiani est hominis, DEOq; acceptum munus. Debemus enim ei honorem tribuere, ut Creatori; amorem, ut redemptori; timorem, ut Patri; humilitatem, ut Regi regum; obedientiam, ut domino dominantium. Quâ *humilitate*, secundum Augustinum, *nihil excelsius*. Omnes enim delectat celsitudo: sed ad eam illa gradus est. Id Psaltes quoq; docet. *Sacrificium DEO, Spiritus contribulatus: Cor contritum & humiliatum DEUS non despicies.* Et vers. 21. *Tunc acceptabis sacrificium Iustitiæ, oblationes & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.* COR igitur hieroglyphicum ardentis orationis ex puro corde profectæ notetur: quo pii & veri Christiani DEO litare debent: hocq; Sacrificio propitiatorio, DEUM placare. Ara pietatis erga DEUM indicium est.

Psalm. 50. vers. 19.

ANAGRAMMA ET EMBLEMA II.

ANDREAS (K)OCHTITIUS LIBER BARO IN (K)USSENTIN.

ἀναγρ.

EN IN T, IN HAC ARBORE SALUS REDIIT SONTIBUS.



A *Missæ nobis fuit arbor causſa ſalutis:*
ARBORE IN HAC REDIIT SONTIBUS *ecce* SALUS!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0023

AD II.

Ne quis alium sensum huic Emblemati adfingat velim! Omninò enim cum illis non facio; qui externo signo id tribuunt, quod rei ipsius est proprium. Multò minùs, ut ligno vel signo crucis (in quâ Salvator noster opus redemptionis humanæ peregit) tantam vim & efficaciam, qualem nonnulli docere & affirmare non erubescunt, tribuam. Arbor enim per se non fuit causa peccati & lapsus: sed prava & perversa voluntas primorum parentum. Hîc autem tribuitur non causæ ut causæ Metonymicè Ex quo verò ligni genere crux fuerit illa facta, vide Just. Lips. in suo libello de Cruce. Quercum fuisse tribus rationibus censet. Scutum autem salutis est hieroglyphicum. Eo enim ad nos defendendos utimur. Gratiam autem & Justitiam DEI, salutis nostræ scutum esse piè credimus, iuxta Apostoli illud. Gratia DEI salvati sumus. Ephes. 2. Quòd verò Crux Christi multipliciter figurata fuerit in veteri testamento, præsertim per literam T. vide Chassan. in Catal. Gloriæ mundi. part. 1. concl. 99. mihi fol. 100. Quòd olim nemini licitū fuisse signum salvatoris Christi humi, vel in silice, vel in marmore, aut insculpere, aut pingere, probat. *L. unica. C. nemini licere sign. Salvatoris.* quæ tamen hodiè non observatur.

ANAGR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0024

ANAGRAMMA ET EMBLEMA III.

ANDREAS (K)OC(H)TITIUS LIBER BARO. Jun. ἀναγρ. add. E.

ORA! SIC TE LABOR DIU SERENABIT.



Vota precesq; pio constans conjunge labori:
Sic votum largæ juge sequentur opes.

Aliter.

Propria fac, ORA, vitium fuge, disce vereri:
Sicq; SERENABIT TE LABOR ISTE DIU!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0025

AD III.

Iohan. 14. verſ. 13. 14. 1. Rom. 11. 1 Tim. 4. 5.

ORatio vera ad DEUM, eſt unicum omnia, quibus egemus beneficia impetrandi medium, malorum remedium, in adverſis ſolatium & præſidium, ac præcipuum fidei exercitium. Vult tamen DEUS, ut quiſq; in ſuâ vocatione ſedulus ſit, & laboret. Eleganter Poëta:

Ioh. Major

In prece ſis ardens, operaſq; fideliter urge:
Diriget eventum cura paterna DEI.
Ordo, vigor rerum, finis nam pendet ab ipſo:
Is facili expediet numine, ſi qua volet.
Committenda DEO eſt rerum fortuna tuarum:
Vota, labor, tua ſint munia, cura DEI.

1. Tim. 5. verſ. 18.

Et Apoſtolus laborem commendans ait: *Dignus eſt operarius mercede ſuâ.* Ora igitur & labora, ſic tua cura, in Domino erit ſecura. Sic te Benedictio & gratia divina ſerenabit, quæ vera Lux eſt, mentes & actiones noſtras illuſtrans. Formica laborem notat. unde illud: *I piger ad formicam.* Anchora hoc loco poſſeſſionis certæ ſignum eſt, quam rerum omnium abundantia ex precibus & laboribus ſequitur, quod Cornu copiæ ſive Amaltheæ ſignat. *Pſalm. 25. Quis eſt homo, qui timet Dominum? legem ſtatuit ei in viâ quam elegit. Anima eius in bonis demorabitur, & ſemen eius hæreditabit terram.* Labor tamen non ditat ſine DEI benedictione. *Gen. 3, 17. 26, 3. 12. 30, 27. Deut. 8, 18. Job. 42, 12. Proverb. 10. 22.*

Prov. 6. verſ. 6.

ANAGRAMMA ET EMBLEMA IV.

ANDREAS (K)OCHTITIUS LIBER BARO.
ἀναγρ: omiss. S.

T ARDEO, IUSTA HINC LIBERABOR.



ALis COR fidei petit æthera: tendit ad ima
Saxum: quàm gravis est inter utrumq; modus!

Aliter.

Vinclis hæreo mens ligata noxæ:
HINC sed T ARDEO, JUSTA LIBERABOR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0027

AD IV.

Ioh. 3. AMorem DEI omnipotentis erga genus humanum Evangelista explicat: qui tantus fuit, ut filium suum unigenitum daret: nosq; per & propter eum in filios adoptaret: & adhuc coheredes regni sui cœlestis faciat. Nullo igitur modo de ipsius gratiâ & misericordiâ dubitare debemus: quin potiùs puro corde & affectu, certaq; fide, eum Liberatorem & sospitatorem nostrum, agnoscere: filialiq; amore prosequi: ut tandem vinculis hujus corporis soluti, illi fide in eum verâ, justitiâ per ipsum datâ, & purâ conscientiâ complaceamus. Ac veluti qui carceribus inclusi detinentur, unum illud maximè in votis habent; ut liberi evadere ex ijs possint. Sic & COR pium quod ALIS, id est suspirijs ac gemitibus ardentibus ad DEUM fertur, & tendit, præcipuum votum hoc habet: mundi illecebris & vinclis carnalibus solutum, cum Christo esse. Hinc & Apostolus ait: Cupio dissolvi & esse cum Christo. Per Cathenas, vitia, quòd se gignere & arctissimè complecti consuevére, notari scribit, Joan. Pierius lib. Hieroglyph. 48. c. 9. De virtutibus ego alibi explico & intellego. Per saxum, immotam & constantem voluntatem hominis pii, ad DEUM directam: sed carnis affectibus vinctam & victam, quò minùs sursum se erigere valeat, significo.

In Embl. Polit.

ANAGRAMMA ET EMBLEMA V.

ANDREAS (K)OOCHTITIUS
ἀναγρ:

HOC DAS IUSTE ORANTI.



VIta, salus & opes, Sapientia, copia rerum:
Dante DEO veniunt, præmia certa piis.

Aliter.

HOC DAS ORANTI IUSTE, *pater optime; quicquid*
Mens petit ægra, fide ut non dubitante ferat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0029

AD V.

3.Reg.3.11. REsponsum quod Salomon â DEO tulit: *Sapientiam postulasti, Sapientiam habes:* Nos meritò de ejus erga nos propensâ benignitate & paternâ curâ; si in Oratione assidui fuerimus, eumq; in filio suo, Salvatore nostro, invocare scivimus & voluerimus, confirmare debet. Dabit enim nobis quicquid petierimus. Sapientia autem, quæ melior est, quàm vires, donum præstantissimum à DEO homini datum, meritò censenda est. Quamobrem & hæc, & Vita, vitæq; subsidia, à DEO, fonte omnium bonorum piis dantur. Doctiores per tripodem Sapientiam intelligunt. Olim enim tripus aureus Apollini dedicatus fuit, ex quo Vaticinia reddebantur. Per cribrum verò, vitæ sustentatio & alimenta notantur. Per rosam autem ex corde enascentem, spem & lætitiam successus designo.

ANAGRAMMA ET EMBLEMA VI.

ANDREAS COCHTICIUS LIBER BARO.

ἀναγρ:

CHRISTO DUCE IBO, LIBERA NASCAR.



PRoſpera quì cœli vult tecta ſubire beatus:
Aſpra priùs mundi limina tangat, opu' ſt.

Aliter.

Noxæ enecta quidem nexu erro: ſed DUCE CHRISTO,
IBO viam hanc, diâ LIBERA NASCAR ope.

AD VI.

VIta piorum in hoc mundo peregrinatio est. Peregrinamur enim peregrini, tanquã in peregrino solo; donec superatis mundi hujus sentibus, vepribus, & ærumnarum fluctibus, ad cœlestem & veram illam patriam, quasi ad portum securum, in quo vera & perpetua vitæ tranquillitas, perveniamus. Iter autem salebrosum est, mensq; nostra densâ caligine obducta. Ne igitur à tramite recto, & via salutis aberrem, CHRISTE, qui ipse via & Lux es, mundum illuminans, duc me ad æternam illam vitam, per viã veritatis, quæ tu ipse es. Sitq; lucerna pedibus meis verbum tuum. Sic nec aberrabo; nec solus ero, si tu mihi comes: ibiq; tandem vinclis mundanis solutus, renascar. Rota hieroglyphicè vitæ curriculum notat. Columba puritatem; ramus olivæ, æternam illam pacem. Per sentes & vepres nostra scelera & delicta notantur, quibus iter salutis impeditur, sicut iter vepribus impediri solet. Non minùs verè, quàm eleganter quidam scripsit.

Vita quid? ad cœlum via: quonam sub duce? Christo..
Lumine quo? fidei: compita per qua? Crucis..

ANAGR.

ANAGRAMMA ET EMBLEMA VII.

ANDREAS (K)OC(H)TITIUS
ἀναγρ. addita A.

VITA SIT CORDE SANA.



INtegritas vitæ, mens & non conscia fraudis,
Ante DEUM ac homines lemma favoris erunt.

Aliter.

Ævum ducere si cupis beatum;
Puro SIT tibi VITA SANA CORDE.

AD VII.

INtegritate vitæ, & bonâ conſcientiâ homini pio nullum majus præſidium adverſus mala quæq; accedere poteſt. Tutus enim intra ſe, externa contemnet: quæ certè invalida ad illam ſubruendam. Hinc & Flaccus.

Integer vitæ, ſceleriſq; purus,
Non eget Mauris jaculis, nec arcu,
Nec venenatis gravidâ ſagittis
—pharetrâ.

Reuſn.

Si corpis ingenuus, conſtans & apertus haberi:
Conveniant lingvæ facta manuſq; tuæ.

Alibi ex Seneca.

Si Cor & Os, ſi mens & vox, ſi Oratio concors
Et ratio eſt, ecqua eſt ſvavior harmonia?

Qui igitur DEUM, (cui nihil eſt abſconditum, nec eſſe poteſt) teſtem factorum dictorumq; habebit: ille perpetuò lætus eſſe poteſt. Quiq; hîc puram vitam aget, ſegregatam ab omni contagione ſcelerum, meritò in cœlis
1.Pet.5.4. Coronam immarceſſibilem cum lætitiâ reportabit. Per Cor Pyramidi impoſitum, firmitatem noto. Ut enim hæc baſin habet latam, & in cuſpidem acutâ deſinit: ſic animus ſibi benè conſcius, firmus ſtat: & rectitudine ſuâ ad cœlum tendit. Per coronam lætitiam, ſive etiam victoriam intelligo: quòd eæ olim victoribus dari ſolitæ. Per Speculum pyramidis formam reddens, puritatem conſcientiæ innuo: ſive, quòd noſtras actiones ſic inſtituere debeamus: ut omnibus pateant.

ANAGR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0034

ANAGRAMMA ET EMBLEMA VIII.

ANDREAS COC(H)TETIUS LIBER BARO.
ἀναγρ omiss. R.

COR CASTE', VITA SOBRIE', BLANDE'.



Sobria mens, & Cor castum, sine felle loquela,
Recta fides: vitæ Symbola sunto piæ.

Aliter.

COR CASTE', *os* BLANDE' *sine fuco,* VITA *regatur*
SOBRIE'; *ab offensis sic Cato liber eris.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0035

AD VIII.

TEmperantia Virtus, animi nostri motum & affectionem in voluptatibus corporis appetendis fugiendisq;, quantum DEI præceptum jubet, regens & moderans, passim in sacris literis commendatur. † Ubi enim assiduæ commessationes, crapula, & ebrietas: ibi mens & cor vitiosis humoribus obrutum & quasi sepultum, serii & pii quicquam, de DEO, & aliis honestis rebus cogitare non potest. Sobrietas contra castos in pectore motus gignit. Paulus autem monet pios; ut sobrietati studeant; ex qua ardens invocatio. Quò enim mens magis sobria: eò ad DEUM purior & vehementior impetus. Turtur nota est Castitatis. Quòd verò pomo insideat, utpote illecebræ Veneris, & illud quasi aversetur; temperantiam innuo. Corvus sobrietatis hieroglyphicum est. Tradunt enim Scriptores rerum naturalium, Corvos 60 dies sitim perferre posse, quibus ventris profluvio laborant. Rota humanæ vitæ curriculum significat: quod, scilicet cursus communis vitæ talis sit, ut ventri & gulæ ac aliis corporis voluptatibus homines magis sint dediti, quàm sobrietati. Felices autem illi, qui posthabitis rebus, nos ad interitum ducentibus, sobrietati, & honestati student: ex illis enim pernicies summa: ex his vera voluptas animi, corporis vigor & salus: famaq; & conscientia bona.

† Tob. 6. vers. 15. Eccles. 3. v. 6. Dan. 1. 8. 11. Rom. 13. 13. 1. Cor. 7. Gal. 5. 23. 1. Tim. 3. 2. Tim. 1. 7. 1. Pet. 13. 2. Pet. 1. 6.

ANAGR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0036

ANAGRAMMA ET EMBLEMA IX.

ANDREAS COC(H)TITIUS LIBER BARO
DE COCHTIÇ ET LUBLINIEÇ.
ἀναγρ. omiſſ. T.

ECCE HIC LUCEBIT SIDERIS INSTAR! DONA
REBUS COLLOCABIT.



LUmen cœleſte eſt Sapientia: cautior actus
Humanos certâ nam ratione regit.

Aliter.

ECCE HIC *ætherei* LUCEBIT SIDERIS INSTAR:
DONA *etiam* REBUS, *Charitum monimenta*, LOCABIT.

AD IX.

AUrea cathena Homerica, connexionem rerum humanarum cum divinis, ac vinculum, quo mens humana cum divinâ constringitur, designat: cujus, inquam, cathenæ præcipuus anulus est Sapientia, quam Hieroglyphicè in medio stellæ per Oculum noto. Est enim Sapientia verè vitæ Oculus, quæ acie suâ, tàm suprema, quàm infima; divina & humana penetrat: & radiis suis illustrat. Estq;

Reusn. in Symb. Heroicis.

Et vitæ & rerum Sapientia maxima Custos,
Sola dat, & cunctas unica vincit opes.

Neq; vis, & fortunæ tanta potentia est, quanta ipsius Sapientiæ: & ut Poëta ait.

— *Sæpe acri potior prudentia dextrâ.*

Cui igitur cœlitùs Sapientia contingit: qui fortis, prudens, temperans, justus: aliisq; virtutibus præditus (hæ enim Sapientiæ ancillantur (ille tandē dominabitur astris, quò & Maro respexit, dum de campo Elysio fabulatur.

Virgil. 6. Aeneid.

— *qui ob patriam pugnando vulnera passi:*
Quiq; sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quiq; pii vates, & Phœbo digna locuti,
Inventas aut qui vitam excoluere per artes:
Quiq; sui memores alios fecére merendo:
Omnibus his niveâ cinguntur tempora vittâ.

ANAGR.

ANAGRAMMA ET EMBLEMA X.

ANDREAS (K)OC(H)TICIUS LIBER BARO.
ἀναγρ.

DIVA ARBOS CLARESCIT IN ORBE.



REstat adhuc vegeti Trunco vis insita succi:
Arbor in æternum crescet, eritq; decus.

Aliter.

DIVA ARBOS *vireat, quæ nunc* CLARESCIT IN ORBE;
Donec erunt silvæ, terraq; donec erit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0039

AD X.

Ant. Miz. SIcut oleosæ arbores insitionem aliarum respuunt, ut Scriptores rerū nat. tradunt: Ita generosi animi est, nihil suo genere, nihil se indignum admittere. Hunc igitur truncum & Ardeam, Generosæ tuæ familiæ, Insigne, VIRTUTEM interpretor. Hæc enim in animis Heroum plantata, non secus atque truncus, cui humidi aliquid inest, novos surculos protrudere solet: ac generosis pectoribus insita, heroicos motus subinde suscitat; qui in actum deducti, mirè in subjectis suis agunt. Vireat itaq; truncus hic celebris, atq; surculos, DEO hominibusq; gratos, emittat; qui in magnam spem suæ familiæ, ac Reipubl. surgant & crescant. De Ardeâ infrà vide. Laurus autem arbor sola est, quæ fulmine non tangitur, arcens ac repellens mala: non timet anni injuriam: sed semper frondet, neq; unquam senex apparet: quarum aliquot eximiæ proceritatis & magnitudinis vidi in Horto Illustriss. Principis Electoris Palatini, hyeme virentes. Divam autem ideò arborem dico, quòd Apollini sacra & dicata fuit. de quo vide *Natal. Com. Mythol. lib. 4. c. 10.*

ANAGR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0040

ANAGRAMMA ET EMBLEMA XI.

ANDREAS COC(H)TICIUS.
ἀναγρ:

SIC SIC ARDUA NECTO.



SUmma tenet nodus: radix amplexibus hæret.
Virtus & Pietas pectora fida ligant.

Aliter.

SIC ego Virtutum Princeps, SIC ARDUA NECTO
Pectora; fortunâ non solüenda gravi.

AD XI.

PIetate & Virtute, nihil est aptius ad conciliandos hominum animos; nihil fortius ad benevolentiam retinendam. Illa quoniam DEUM homini placatum reddit: hominumq; cœtus inter se constringit. Hinc Seneca:

Nulla vis major pietate verâ est. Hujus quoq; tanta vis, ut etiam ignotos ad amandum concitet, nexuq; quodam benevolentiæ arctissimo vinciat. Hæc, inquam, est, quæ omnia, quæ in hominem cadere possunt, subtus se habet: culpaq; omni carens, præter ipsam se, nihil censet potissimùm ad se pertinere. Et ut Tullius ait: *Nihil est virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius, nihil quod magis alliciat ad diligendum; cujus tanta vis est, ut viros sapientes & fortes, species ejus & pulchritudo, etiam in hoste posita delectet.* Virtutes tuæ Heroicæ, Generose Domine Baro, Nodus sunt ille Gordius, quem promerendi meo studio, tuaq; erga me benevolentiâ magis ac magis constringi percupio. Arbores istas duas; alteram Quercus: alteram Olivæ speciem referentes; Diuturnitatem cum virtutum amicâ pace, utrinq; mutuo complexu radicum adhærentium, AMICITIÆ notam sacram esse innuo & opto.

ANAGRAMMA ET EMBLEMA XII.

ANDREAS COOCHTITIUS LIBER BARO.

ἀναγρ:

HOC LIBRATO ARCTIS IN REBUS: A DEO.



Qui sibi fortuitò nil evenisse putabit:
Adversæ huic sortis non grave pondus erit.

Aliter.

Corde pio HOC *semper* LIBRATO REBUS IN ARCTIS:
A summo veniunt Cruxq; Salusq; DEO.

AD

AD XII.

PIè nobis credendum: DEUM majora pondera crucis & calamitatum, pro immensâ suâ justitiâ suis non imponere, quàm sufferre possint. Quos enim castigat, hos & diligit. Summa igitur nostra consolatio esse debet; nobis nihil fortuitò evenire; cùm etiam capilli capitis nostri sint numerati. Providentiam ergò DEI agnoscamus; Justitiam celebremus; ac amorem suum grati amplectamur. Ipse enim novit, quæ nobis, nostræq; saluti sint usui. Per scuticam verò castigationem: per florem in lance, spem & lætitiam signo. Per libram, Justitiam. DEUS enim OPT. MAX. quæcunq; nobiscum pro suâ divinâ sapientiâ & voluntate disponit, justissimè agit: atq; ideò à nobis laudari debet, juxta Augustini dictum.

Aug. super Psalm. 54.

Sive tribulemur & angustemur: sive lætemur, & exultemus: ille laudandus est, qui & in tribulationibus erudit, & in lætitiâ consolatur. Laus enim DEI à corde & ore Christiani recedere non debet, non ut laudet in prosperis, & maledicat in adversis: Sed quemadmodum Psalmus ille habet: Semper laus ejus in ore meo. Gaudes, agnosce patrem blandientem: tribularis, agnosce patrem emendantem: sive blandiatur, sive emendet, eum erudit, cui parat hæreditatem.

ANAGR.

ANAGRAMMA ET EMBLEMA XIII.

ANDREAS COC(H)TITIUS LIBER BARO IN (K)USENTIN ET TURINAVA.

ἀναγρ:

VIRTUTE, CONSILIO, ARDUIS INNITAR, BRABEA TENENS ACTU.



QUò Genus & Genius, quò me rapit ardor honesti:
Quò Deus & Virtus duxerit, usq; sequar.

Aliter.

CONSILIO, VIRTUTE, *fide, pietate, labore*
INNITAR *Hector* ARDUIS.
Quodq; decus peperere, colam, Proaviq; Thaliaq;
ACTU BRABEA *jam* TENENS.

AD XIII.

„ EXcelsi & Heroici animi est, extra genus suum nihil fa-
„ cere. Prudentis verò, nihil sine Consilio aggredi. Ut enim magnum quiddam est, sublimi esse genere natum: ita sublimia & excelsa sectari; humilia & plebeia spernere, maximum. In omni autem re suscipiendâ vel tractandâ, Consilium præcedat oportet; si felix eventus sequi debet. Præcipitis quoniam Consilii assecla est Pœnitentia: & ut *Mantuanus* ait: — *Utile non est*

Consilium post facta, dari quod oportuit antè. Quippe, quòd [illegible] *silii expers mole ruat sua!* Maximè autem in rebus arduis quarum ex parvo errore, maxima sæpè, infinitaq; inconvenientia & damna oriri solent, deliberandũ est diu: ne præcipitia facta, oportunitatẽ rerum necessariarum, & agendarum elidant: quod notis hisce Hieroglyphicis demonstrare volui. Clava Herculea Virtutem designat, ut notat *Joh. Pier. Hierogl. lib. 51. c. 1.* Serpentes Prudentiam & Consilium. Mons solidam & immotam mentis actionem significat. Equus currens, generosum animum. Atq; ut difficilia, quæ pulchra: & non nisi magno sudore parantur: sic generosis animis id maximè convenit, ut actionibus honestis & virtutibus ardua sectentur; & ad summa honorum culmina contendant: unde vera gloria, & nominis fama perpetua nascitur. Huc facit Claud.

Arcem ad virtutis longis ambagibus itur: Et Amb.
Nulla sine labore virtus est: quia labor processus virtutis est.

ANAGR.

ANAGRAMMA ET EMBLEMA XIV.

ANDREAS (K)UC(H)TITIUS LIBER BARO.
ἀν αγρ

TACE, SUSTINE, DURA: IBI LABOR.



Durabo! & tacitus votis pia munia jungam:
Ibit post pluvios spero serena dies.

Aliter.

Constans malis in omnibus
DURA, TACE, *arcta* SUSTINE.
Cum̃q; ingruet necessitas,
Ora, LABORA; IBI *optimus*
Vincendi erit malum modus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0047

AD XIV.

Nullum evidentius argumentū pii animi eſt, aut eſſe poteſt, Patientiâ cum Conſtantiâ conjuncta: quæ tantò ſplendidior apparet; quantò majores calamitates & diſcrimina incumbunt: quibus ſi ſpes accedat; quid ad victoriam ex malis obtinendam fortius, aut validius eſſe poſſit, non video! Molles quidem ſunt in calamitatibus animi mortalium: ſed animus ſpe, Patientiâ, & ſuſtinendi Conſtantiâ præmunitus: nullis adverſis etiam maximis cedit. quanquam non in omne ſubjectū talis cōſtantia cum patientiâ cadit. Hinc fit, ut multi, dolore, & pertinaci malorum pondere victi, ſuccumbant: in DEUM, propriam conſcientiam, ſæpiſſimè in proprium corpus peccent. Qui verò cum ſpe & fide ex malis eluctantur: iis dulcis eſt præteritorum malorum recordatio, victoriaq; ſuavior. Per tempeſtatem autem, genus omne malorum piis incumbentium: per Columnam Conſtantiam intelligo. Per virum cribrum manu tenentem, ut grando perpluat, animum patientem, adverſa ſuſtinentem, cui tamen nulla ſors adverſa; nulla tempeſtas vim inferre poteſt, fructumq; patientiæ, noto. Per ſeram columnæ impoſitam, ſilentium innuo. Huc pertinet illud vulgare:

Nobile vincendi genus eſt Patientia. vincit
Qui patitur, ſi vis vincere, diſce pati.

Claud. — *durum Patientia corpus*
Inſtruit, ut nulli cupiat ceſſiſſe labori.

Nat. Com. *Fortunæ furias, & inevitabile fulmen,*
Alma Jovis temnit Virtus ſibi conſcia recti.

Plaut. in Capt act. 2. ſcen 1. *Si Dii immortales id voluére, vos hanc ærumnam exequi,*
Decet id pati æquo animo: ſi id facietis, levior labor erit.

ANAGR.

ANAGRAMMA ET EMBLEMA XV.

ANDREAS (K)OCHTITIUS LIBER BARO.
ἀναγρ.

HONOR ALIT ARTES DUCI BRABEIS.



Quod cibus est homini: hoc Honor artibus: Ecce Ducum re
Augent quæsitum fixa brabea decus.

Aliter.

Cur vivunt functi Reges? cur facta? BRABEIS
ALIT DUCI *nam* ARTES HONOR.

AD XV.

In Epitaphio eorum qui ad Viennam ceciderunt.

HOstiles gladii sunt fundamenta immortalis gloriæ, inquit doctissimus Scaliger. & rectè! Verus enim honor, est præmium ex virtute heroicâ promanans, quæ in externâ actione, præsertim Fortitudine bellicâ consistit. Honor enim speculativis scientiis, aut literis non propriè tribuitur. Veneratio illis convenit. Quòd verò dicitur: Honos alit artes: id cum micâ salis sumitur. Sed quemadmodũ egregios invitant præmia mores: Utq; Heroicis animis *Fax virtutis exercendæ Gloria est*, quâ ad facta præclara & egregia præstanda accendũtur: Ita similitudine quadam præmia, & fama celebris, artibus & literis nutrimenti loco sunt, quibus conservantur. Maximè autem *omnes*, Tullio teste, *accendimur gloriâ ad studia:* unde omnibus temporibus, tot viri fortes & heroici extiterunt, quos famæ & gloriæ cupiditas ad præclara facinora excitavit

— *laudata* enim *virtus,*
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

Brabea igitur artesq;, alimenti instar sunt Ducibus & Heroicis viris, quæ ob fortia facta statuuntur: qualia olim fuére Pyramides, Columnæ, Statuæ, Coronæ, eæq; variæ: armillæ, vexilla, gladii, & id genus alia: præmia scilicet fortitudinis bellicæ, quæ à doctis viris consignata, ad nostram ætatem & cognitionem pervenerunt.

ANAGR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0050

ANAGRAMMA ET EMBLEMA XVI.

ANDREAS (K)OC(H)TICIUS LIBER BARO.
ἀναγρ.

ARDEA ET BUBO RARI SUNT SOCI.



MEns generosa petit semper sublimia. vulgus
Affixum terræ Corá, pedesq, gerit.

Aliter.

Ignavus BUBO, stellaris ET ARDEA RARI
SUNT SOCII; tenebras hic amat; illa jubar.

AD

AD XVI.

in Epidico Erasm. in Adagiis. Chil. 1. cẽtur. 8.

ALiter catuli, aliter sues olent, legitur apud Plaut. quo, ut Erasm. explicat, significatum est: non veste dignosci hominem ab homine; verùm inesse nativum quiddam, genuinum, ac proprium in unoquoq; quod in ipso vultu oculisq; eluceat, quò liberũ à servo, generosum à rustico, probum ab improbo, facilè discernas. & verè. DEUS enim cuiq; peculiaria dona concessit, quæ cum aliis communia non sunt. Ita Regibus, Principibus, Heroibus aliisq; generoso sangvine natis, peculiares animi motus, corporisq; dotes à DEO tribuuntur, quæ à vulgi moribus, vitâ & institutione longè absunt. Estq; ejus maximè, quem DEUS Sapientiâ, Prudentiâ singulari, atq; aliis excellentibus donis cumulavit, quàm longissimè à vulgi corruptis & pravis opinionibus abesse: ut non tantùm cum illo non faciat; sed ne rationibus plausibilibus, se à statu recti judicii dimovendum cogitet. Epist. 121. Rectè *Seneca: Magnus animus conscius sibi melioris naturæ, dat quidem operam, ut in hac statione, qua positus est, honestè se, atq; industriè gerat.* Quanquam mentibus humanis assiduæ mutationes sunt, ut quem heri vidisti (ut idem Seneca ait:) meritò dici de eo hodiè possit: Hic quis est? Hoc tamen exigendum à sese: ut qualem instituerit quis præstare se, talem usq; ad exitum servet. Emblemate hoc id noto. Ardea enim dicta, quasi ardua: quòd semper ardua petat: Generosam mentem sublimia sectantem monstrat, quæ rarò, aviculis associatur; multò minùs Buboni: per quem vulgus sordidum & plebeculam, quæstui & turpibus ac humilibus rebus deditam, intelligo.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0052

ANAGRAMMA ET EMBLEMA XVII.

ANDREAS (K)OCHTITIUS LIBER BARO
ἀναγρ: addita S.

SIC LIBO: ARTES ARRHABO ET NIDUS.



Arrhâ certus, apem ſequor; alveoliſq́ repono
Mella, ſenectuti pabula grata meæ.

Aliter.

Muſarum flores SIC LIBO *lætus; at* ARTES
ARRHABO ET NIDUS *ſunt, monimenq́ ſpei.*
Tempus enim veniet, cùm ſeris debilis annis,
Muſis, melle velut veſcar & ambroſiâ.

G AD

AD XVII.

Ep. 93. QUid est *beata vita*, inquit Seneca? *Securitas & perpetua tranquillitas. Hanc dabit animi magnitudo, dabit Constantia benè iudicati tenax.* addo: dabit & Sapientiæ studium, quod idem testatur ep. 89. *Una re consummatur animus scientiâ bonorum & malorum immutabili, quæ soli Philosophiæ competit.* Et paulò supra: *Quare liberalibus studiis filios erudimus? Non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem præparant.* Et circa principium: *Liberalia studia inde dicta sunt, quòd libero homine digna sunt. Unum studium verè liberale est, quod liberum facit,* hoc est, Sapientiæ. Magnâ igitur ex parte vita beata, in cognitione rerum cœlestium & humanarum, scientiâ bonorum & malorum consistit. Hanc sanè nemo, nisi liberalibus studiis instruatur, sibi comparare poterit. Multos autem hodiè videmus, generoso genere ortos, qui dedecus summum esse ducunt; literis erudiri. quasi Nobilitas in solis externis bonis fortunæ consistat? O mores! O mentem! Quantò plus felices & beati illi censendi, qui excussis eiusmodi vanis opinionibus vulgi: animum studiis literarum excolunt; nec à suo genere alienum esse putant, Docti audire. Inprimis verò Generose Domine Kochtici, Te boni omnes suspiciunt, propter eruditionem, haut vulgarem; humanitatem singularem; liberalitem splendidam erga literarum cultores; aliasq; Heroë dignas virtutes: maximè verò, quòd tantò generosiorem te esse demonstres; quantò ipsæ literæ pretiosiores apud te. Utq; decus literarum in literis conservare velis ac possis, voveo.

ANAGR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0054

ANAGRAMMA ET EMBLEMA XVIII.

ANDREAS (K)OCHTICIUS LIBER BARO.
ἀναγρ: addita I. omissa B.

HIC DUBIA CONSILIA RARO SERET.



CUi mens dia animum, pectus Prudentia firmat:
Cautus is eventum prospicit, alta fugit.

Aliter.

Prudens & constans, doctus, rerumq; peritus;
RARO CONSILIA HIC *mente* SERET DUBIA.

AD XVIII.

INcorrupti judicii certissima nota est, rectè de rebus sentire: consiliumq; bonum pro re natâ dare & sequi. Tali judicio præditus, rarò errat. Ex præteritis enim & præsentibus, futura prævidet, & colligit: præsentia disponit: longâ deniq; experientiâ rerum, usuq; edoctus, uno quasi momento, quæ sequenda, quæ fugienda, quæ amplectenda, quæ rejcienda sint, cognoscit. Idq; in vitâ communi aprimè utile, imò necessarium; recto suo stare judicio: ab aliorum non pendére opinionibus; & quæ in mentem bona veniant, cum ratione exequi. Qui de re agendâ diù deliberat, & deliberata citò exequitur; occasionemq; agendi ex præsente rerum statu captat: vix à commodis utiliter percipiendis aberrabit. Elapsâ verò occasione multa præclarè fieri desinunt. Hoc igitur Emblemate viri Prudentis officium demonstrare volui. Cubus forma est solida, quem quamcunq; in partem jeceris, firmus stat. Idem & Prudens: qui cunctos ratione rectâ metitur actus, nec facilè à recto movetur. Cor consilium notat. Clavus firmitudinem vel Constantiam ejusdem. Caput lupi dependens auribus breviusculis, Dubium signat. Ut enim Lupus belua tàm mordax, nec benè auribus teneri, cùm breves habeat; nec sine periculo dimitti potest: Ita qui judicio non satis exquisito præditi, dubia plerunque captant, & sequuntur consilia: semperq; hærent. Prudens autem dubia pro certis nunquam acceptat. Vide *adag. apud Erasm. Chil. 1. cent. 5. mihi fol. 166. Auribus lupum teneo.*

ANAGR.

ANAGRAMMA ET EMBLEMA XIX.

ANDREAS (K)OCHTICIUS LIBER BARO IN COSNTIN ET TURINAVA.

ἀναγρ.

DOCTOS IUVAT: HINC VRANIÂ ARBITRÂ NON INCELEBRIS EST.



Nil vixisse juvat; si nomen clauserit urnâ:
Si id celebrent Musæ: vivere quemq; juvet.

Aliter.

ÆRE IUVAT DOCTOS: *Musis facit ocia: terris*
URANIÂ NON EST ARBITRÂ HIC INCELEBRIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0057

AD XIX.

LAude digni sunt, non tantùm, qui animum in studiis literarum occupant: sed etiam illi, qui conatus talium, liberalitate & munificâ dextrâ adiuvant. Multa enim sunt præclara ingenia, quorum industriâ res admirandæ, in vitâ communi utiles inveniri, & promoveri possent: sed ob inopiam, & defectum rerum, ad illas promovendas necessariarum, vel negliguntur; vel in medio cursu destituuntur viribus: & deseruntur. Et ut *Plautus* ait: *Sapè summa ingenia in occulto latent.* Meritò igitur, dico, laude digni, qui doctos viros fovent, juvant, eorumq; studia liberalitatis studio conservant. Ut hac in parte Tibi quoq; Laus ista meritò accedat, Generose Domine KOCHANCZKY, qui plurimos viros doctos & egregios, ad altiores in studiis progressus liberalitate tuâ excites, langventes erigas, erectos firmes. Ut taceam studium tuum erga Musas, quarum amore adeò à primis annis flagrâsti: ut nunc quoq; assiduam in iis naves operam: inq; tuâ Arce sedem illis extruxisti: ubi tutò ac gratæ quiescunt. Non dicam de curâ circa filii tui institutionem liberalem; quem in ædibus tuis: altosq; generosâ stirpe adolescentes natos, ita erudiendos in literis humanioribus curâsti: ut hîc non sine laude, ac utilitate magnâ versentur. Quare.

In Capt.

Inclyta munificam si ditat gloria dextram:
Si juvat Aonias quem coluisse Deas.
Clarus utroq; cluis. Sed fama celebrior inde
Surgit, ut à genere hæc non aliena putes.
Ære & re sacras sic perge juvare Camenas:
Hoc studium perpes nam comitatur honos.
Nempe sequens ætas cedris tua dona reponet.
Urania & clarum nomen ad astra feret. Tuba famam

significat: quâ pridem ob eruditionem & erga doctos beneficentiam satis es celebris.

ANAGR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0058

ANAGRAMMA ET EMBLEMA XX.

ANDREAS A KOCHTICZ LIBER BARO
IN KOSEENTIN ET TURINAVA.
ἀναγρ: *pro N. M.*
KATHARINA SEDLNICZKA BIS VIVAT IN ORBE,
ET ORNET ARCEM.



AD
GENEROSAM, ET VIRTUTIBUS ILLUSTREM DOMINAM, KATHARINAM; ex Generosâ SEDLNICIORUM BAR. à CHOLTICZ stirpe. Illust. & Gen Dni. Dn. Andreæ à Kochticz Conjugem charissimam.

Qui sobolem gignit, vasto bis vivit in orbe:
Namq; sui moriens schema relinquit idem.
Vive diu felix! quanquam tibi laude superstes,
Nunc est in natis vita parata tuis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0059

Vive, bea, exornes arcem, tua rura, maritum,
Multâ prole, bonis, ſedulitate, fide.
Vive, vige, flore, mater, ſtirps inclyta, radix
Proli, orbi, generi, ſplendida, læta, pia.

Per Solem & Lunam Conjugium intelligo. Per Quercum, diuturnitatem conjugalis amoris, utrinq; nexu indiſſolubili corda ligantis noto. Nam veluti

Ex ſe lucis inops Solis nitet igne Diana:
† *Conjugis haut aliter uxor honore micat.*
Dura ilex veluti longos ſuccreſcit in annos:
Sic veſter fidei robore duret amor.
Quæ, probitas, candor, pietasq; pudorq; ligavit
Pectora: diſſolvat non niſi longa dies.

† l. fœminæ. ff. de Senat l. cùm te. 10. C. d. Nupt. l. fin. C. de incol. l. 1. & l. mulieres. C. de Dignit.

ARDEA KOCHTICZIORUM.

AD

GENEROSUM ET ILLUSTREM

ANDREAM KOCHTICZKI,

LIB. BAR. à KOCHTICZ ET LUBLINIECZ, IN KOSSENCZIN &c. MUSAGETAM EMINENTISSIMUM.

ARDEA, nixa SUDI nodis & mole gravatæ,
Mordicibusq; premens surrecto vertice PISCEM,
KOCHTICIÆ proavita domus INSIGNIA clarat.

ARDEA sublimeis & Sarmata falco per auras
Infestis æterna gerunt certamina signis.
Falco potens alis & pugnax unguibus, & vim
Cominùs hostilem protento umbone superbi
Pectoris elidens, venatur in aëre prædam.
ARDEA & ipsa suæ rostri mucrone saluti
Prospicit, ingeniosa dolo. nam pronus ab æthrâ
Dum librat se Falco super; telum ARDEA rostri
Cauta sub alarum furtivo tegmine condit.
Dumq; inhians prædam toto ruit impete Falco,
ARDEA non oblita sui, rostrumq; supinans
Excipit incumbentem & vulnere conficit hostem.
Quin & piscator quandoq; fit ARDEA Rheni.
Quomodo? Prona pedem sub aquas demittit: &, ecce,
Occulto Naturæ habitu, gens muta natantum
Tanquam ad propositam subremigat illicis escam.
Hoc illa iratum placat solamine ventrem.

Caterà, per liquidum sublimibus ardua pennis
ARDEA, *quaq; sequi vix possis lumine, tranat.*
Nidamenta etiam, quâ se celsissima dorso
Porrexêre procul fastigia, congerit ovis.
Usq; adeò factis sibi vindicat ARDEA *nomen!*
MAIESTAS *quæcunq; fuit* INSIGNIBUS *auctor*
KOCHTICIO *generi, næ Pulchra atq; Ardua vidit!*
Alta petit generosa bonæ vis insita menti:
Et flammas imitatur, & urget in ardua VIRTUS.
Alcides, Jovis ille trinox leo, robore CLAVÆ
Multa quidem, sed non tamen omnia Monstra subegit.
CONSILIO, *furtoq;* DOLI *quandoq; sagacis,*
Fortiùs ille egit, quàm CLAVÆ *horrore trinodi.*
Quum Leo defecit, succedat callida vulpes.
Non tantùm HASTATUS, *sed & est* SUBSESSOR *in armis.*
Nec pudor, OBLIQUARE *sinûs, ubi cærula turbant.*
UTRAQUE Kochticiis, *aliis satis* ALTERA *laus est.*
Non eget INGENIOSA *fames. Rem sufficit ultrò*
Fortunæ alluvies & pleno Copia cornu.
Hic quoq; KOCHTICIOS *su erimpluit aureus imber.*
VULGARES *animæ sapiunt plebeja, jacentq;.*
ARDUA *sectari molimina,* KOCHTICIORUM *est.*

FRIDERICUS TAUBMANNUS,
Humanitatis Professor, & Collegii
sui Decanus. Wittebergæ scribbt.
Anno 1612.

FINIS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1028134878/phys_0066

r liquidum ſublimibus ardua pennis
ſequi vix poſſis lumine, tranat.
m, quâ ſe celſiſſima dorſo
faſtigia, congerit ovis.
ſibi vindicat ARDEA *nomen!*
AS *quæcunq; fuit* INSIGNIBUS *auctor*
eneri, næ Pulchra atq; Ardua vidit!
ſa bonæ vis inſita menti:
atur, & urge tin ardua VIRTUS.
le trinox leo, robore CLAVÆ
ſed non tamen omnia Monſtra ſubegit.
toq; DOLI *quandoq; ſagacis,*
quàm CLAVÆ *horrore trinodi.*
it, ſuccedat callida vulpes.
STATUS, *ſed & eſt* SUBSESSOR *in armis.*
QUARE *ſinûs, ubi cærula turbant.*
chticiis, aliis ſatis ALTERA *laus eſt.*
NGENIOSA *fames. Rem ſufficit ultrò*
& pleno Copia cornu.
TICIOS *ſu erimpluit aureus imber.*
S *animæ ſapiunt plebeja, jacentq;*
molimina, KOCHTICIORUM *eſt.*

ERICUS TAUBMANNUS,
Humanitatis Profeſſor, & Collegii
ſui Decanus. Wittebergæ ſcribbt.
Anno 1612.

FINIS.

the scale towards document
UB Rostock
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 033
Patch Reference numbers on UTT
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1028134878/phys_0067